

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Medicina e
cum fonte primo

Moris medicinalis est ut sepe
feruorem uiscerum in pruriginem cutis
trahat; et plerumque inde interius curat,
unde exterius sauciat. Ita non nunquam
diuine dispensationis medicamine
agitur ut exterioribus doloribus internum
uulnus adiuuatur.

Gregorius in moralibus.

Moris quippe medicinalis est, ut saepe
feruorem uiscerum in pruriginem cutis
trahat; et plerumque inde interius curat,
unde exterius sauciat. Ita nonnumquam
diuinae dispensationis medicamine
agitur ut exterioribus doloribus internum
uulnus adimatur;
et flagellorum sectionibus repellatur ea
quae occupare mentem poterat interior
putredo uitiorum; et tamen saepe dum
patentis culpa sibi conscii homines non
sunt, et aut doloribus cruciantur, aut
laboribus deprimuntur, contra iustum
atque omnipotentem iudicem in
querelam prosiliunt, scilicet minus
intuentes contra quam fortem
aduersarium bellum gerunt.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 33,
19 (CCSL 143B, M. Adriaen ed.,
pp.1705-6, ll.9-19).